



**Thesaurus Eloqventiae Sacrae Et Profanae, Saluti &
incolumitati Rerumpublicarum utilissimae**

Alberti, Alberto

Coloniae Agrippinae, 1669

Adversarii ingenii principatu dejecti, oblectandi palmam sibi assentatoriè
tribuunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69225](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69225)

III. DE OBJECT. AMBIT. 283
candidè fateamur? Persuadendi efficacitate
jam suprà palam deditus nos carere: modò
ingenii quoque laudem, & decus amissimus.

*Adversarii ingenii principatu dejecti,
oblectandi palmam sibi assenta-
torie tribuunt.*

183. **S**ed alia tamē est adhuc, exemplo sub-
dunt, prærogativa singularis nostra
tota: atque ita nostra, ut de nostrā manu nul-
lis eloquentiæ præsidij, aut præstigiis eripi,
nullis argumentorū machinis extorqueri pos-
sit. Et quæ porrò est ista prærogativa? Jucun-
ditatis gratia, quam nostra afflat Oratio,
inquiunt, tota nostris ex sensibus, atque ar-
gutiis nascitur, animisque Auditorum quām
blandissimè lenocinatur. Nostrisales, nostræ
veneres, nostri lepores. Hi quoscunque ad-
ducti, rigidique supercilii Catones facile
effusā solvunt hilaritate. Possimus id sex-
centis illico in medium allatis venustissimis
exemplis planissimè confirmare. Sed duæ
illæ antea delineatae nostrum ad genium, de-
licateque elaboratæ amplificationes, altera
eam D. Caroli pilam, altera Magni Xaveri
marinum cancrum, suis expingentes colori-
bus, id ipsum sat superque testantur. Quid
enim volucri illâ pilâ, etiam quum feriret,
lenius? quid ingenioso illo plumbo suavius?
quid animatâ illâ purpurâ illecebrosius? quid
illo glandis gemitu magis gemmeum? Illo
vero cancro spirantem in navem commutato
quid

284. P. III. DE OBLECTANDI
quid amoenius? quid ejus legatione festivius?
quid salo illo sine sale falsius? quid fluctuan-
te amari moris conscientia dulcior? quid ad-
Bmissi facinoris purpurisso letius? At contra
severior illa styli Tullianam ad normam ex-
Cgendi disciplina, squallori, paedoriq; propior
est, certè oblectationis appetit penitus ini-
mica. Strigosa nimis, nimis tristis, si hisce
acuminibus non exornetur, languida, vul-
gata, ac nullius ferè pretii videtur Oratio.
At, si alicujus nominis haberi velis, serviendū
plausui, serviendum ostentationi, serviendum
aurium voluptati Hoc nimirum isti crebris
usurpant sermonibus, hoc semper habent in
ore: alia esse nunc tempora, quam majorum
nostrorum: à nostris eculi hominibus hujus-
modi sermonis condimenta perdite ad amari,
posci, expectari, his ad audiendum invitari
his aulas, & templa stipari, his denique tan-
quam Lydio lapide Oratoris cuiuslibet, Con-
cionatorisque præstantiam examinari, ac
prædicari. O sapientum cata consilia! Juon.
Omeras ludionum fabulas!

Reprehenduntur Adversarii, quod oblecta-
tionem Auditorum tam intempe-
ranter affectent.

184. **Q**uid enim hic primum deplorem,
Patres amplissimi? imo quid
maximè omnium rideam, aut indigner?
Itane verò, quum persuadendi curam om-
nem abjecerint Adversarii; quum ingenii
patrī